

Cæterum, quæ pauca in ejusdem Synodi Decretis S. Ordo emendanda, vel clarius exprimenda esse censuit, habebis in pagella, quam his meis litteris inclusam Tibi remitto.

Gratum mihi denique est Emorum. PP. gratulationibus addere impensos animi mei sensus, quibus læta omnia ac fausta Amplitudini Tuæ a Domino precor.

Ampl. Tuæ.—Romæ 30 Januarii 1889.—uti Fr., A. Card. Serafini, Episc. Sab. Præf.—(† Loco sig.)—A. Gessi Sub-Secrius.

## ACTA

### PRIMI CONCILII PROVINCIALIS VALLISOLETANI.

Ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad honorem beatæ Mariæ Virginis sine labe originali conceptæ, Hispaniarum patronæ, sanctæ Teresiæ a Jesu totius provinciæ, S. Petri Regalati Civitatis et Archidiocesis, et aliorum sanctorum Dioceseon Patronorum, ad exaltationem sanctæ Matris Ecclesiæ, et ad salutem fidelium universæ Vallisoletanæ provinciæ. Amen.

Anno a nativitate Domini millesimo octingentesimo octogesimo septimo, ab erecta provincia Vallisoletana vigesimo nono, Ecclesiam Dei feliciter gubernante Beatissimo Patre Leone XIII, die decima sexta Julii, B. Mariæ de Monte Carmelo sacra, et qua in Hispania Triumphus Sanctæ Crucis commemoratur, Exmus. ac Rmus. D. Dr. Benedictus Sanz et Forés, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Vallisoletanus, primum concilium Provinciale solemniter in nomine Domini aperuit.

### ACTA PRÆVIA.

Die 22 Octobris anni 1886, octava S. Teresiæ, Provinciæ patronæ a Smo. Dno. Leone XIII nuper donatæ, Archiepiscopus cum venerabilibus Fratribus comprovincialibus, adstante, sacrumque solemniter faciente Rmo. Nuntio Apostolico D. Mariano Rampolla, nunc Emo. S. Rom. Ecclesiæ Cardinale, præsentibus nonnullis dignitatibus et canonicis ecclesiarum metropolitanæ et cathedralium, necnon quamplurimis parochis, aliisque de clero, et innumeris fidelibus, universam provinciam Sacratissimo Cordi Jesu consecravit in Alba de Tormes, apud sepulchrum et ante transverberatum cor Sanctæ Virginis Teresiæ.

Post solemnissimam supplicationem horis vespertinis peractam, convenientibus Episcopis, Metropolita ipsis aperuit sensum suum de celebrando provinciali concilio, omnesque uno ore plaudentes assensum præbuerunt, atque de communi consensu statuerunt illud in sequenti anno celebrandum esse, tempore ab ipso Metropolita præfigendo, postquam omnia parata censeret,

atque interim de concepto voto ab omnibus servandum secretum, usque dum nihil obstare compertum fuerit, et a Smo. Patre Leone XIII benedictionem impetraret Archiepiscopus.

Facto deinde verbo cum Rmo. Apostolico Nuntio, Episcoporum probavit consilium, et ad Smum. Dominum retulit, qui benigne votum excepit, plausit, et ut quamprimum exequeretur hortatus est. Ex tunc constanti animo accinxit se Archiepiscopus ad omnia præparanda, et die 31 Maii ad Smum. Patrem humiles direxit sequentes litteras:

### *Beatissime Pater,*

Quæ tantopere commendavit, ac præcepit sacrosancta Tridentina synodus celebrari Concilia Provincialia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque secundum canones renovandis, minime jam diu in Hispania convocata fuere, obstantibus potestatis civilis legibus, quæ ipsiusmet licentiam prævie obtinendam statuerunt, necnon frequentissimis rei publicæ turbationibus ex quibus tot tamque gravia advenerunt deploranda mala. Suis enim bonis expoliata ingemuit ecclesia, impedita fuit ipsius judicialis auctoritas religiosa, virorum præcipue religiosæ domus suppressæ, clericorum imminutus numerus, perversæ doctrinæ, erroresque catholicæ fidei adversantes in scholis diffusi, et publici juris in libris facti, et in diariis foliis, quæ corruptionem ubique generant.

Jam vero hæc ipsa, numquam satis lugenda mala, non modo utilissimam, uti semper fuit, sed et necessariam proclamant synodorum, tum diocesandarum, tum provincialium coadunationem, utpote media sapientissime ab ecclesia disposita ad muros Jerusalem reædificandos, tuendam servandamque fidem, populorum mores ad meliorem frugem redigendos, ac canonicam instaurantiam vigorandamque disciplinam.

Specialis alia et quidem potissima in hac provincia accedit ratio. Novissime namque constituta, juxta quod in concordato, anno 1851 inito, statutum fuit, et ex diocesis ad Toletanam olim et Compostelanam pertinentibus, nullam habet communem omnibus et propriam synodalem legem, ideoque peropportuno videtur totius provinciæ concilium adunare, ut communi voto, quæ utilia sunt et congrua statuatur.

Hæc animo reputans, Beatissime Pater, a die qua, etsi minimus inter fratres, benignitate Apostolica, ad hanc evectus fui Metropolitanam sedem, in votis habui provinciale synodum convocare. Celebrata igitur jam alia Diocesana, carissimos comprovinciales de hac re consului, dum Albæ de Tormes convenissemus, ut cunctam provinciam sacratissimo Cordi Jesu devoveremus, sub auspiciis sanctæ Teresiæ, cœlestis patronæ nuper a S. V. nobis donatæ, illisque unanimiter plaudentibus, manus admovi ad ea omnia disponenda quæ in synodo pertractanda erunt.

Ad tanti momenti negotium quam primum persolvendum, vel maxime etiam nos allicit, quod stante hodierna politica libertate, abrogatæ censentur

prioris sæculi leges, quibus, nisi regia præcederet licentia, synodales conventus prohibebantur, ideoque ad pristinam autonomiam reversa est ecclesia, quæ interiorem suam vitam promovere, atque disciplinam ordinare, juxta sacros canones et concordata, libere potest.

Lætabundus ergo ad S. V. accedo, Beatissime Pater, cujus me obsequen-  
tissimum filium ac servum profiteor, commune provinciæ votum patefaciens, vestramque in primis veniam, deinde benedictionem, divini auxilii auspiciem, implorans, ut quæ ad Omnipotentis Dei gloriam, beatissimæ et immaculatæ Mariæ Virginis honorem, Ecclesiæ decus, disciplinæ splendorem, animarumque salutem in provinciali synodo, prope diem convocando, una mecum fratres Coepiscopi agere intendunt, Deo adjutore feliciter perficiamus, atque synodalia decreta, Apostolica vestra auctoritate, cui omnia libenter ac humiliter, prout de jure, subjiciemus, revisa, emendata et probata, in cleri populique utilitatem et salutem denuo promulgemus.—Sanctitatis Vestræ devotissimus, obedientissimus servus—Benedictus Archiepiscopus Vallisoletanus.—Vallisoleti 31 Maji 1887.

Interea, et certior factus jam de litteris a Smo. Patre benigne exceptis, deque proxime accipienda apostolica ipsius responsione, Concilium sequenti edicto indixit.

«Nos Benedictus Sanz et Fores, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Vallisoletanus, Prior et Dominus Jungariæ de Ambia, etc. etc.

»Reverendissimis in Christo Fratribus Episcopis, venerabilibus capitulis »Metropolitano, cathedralibus, et collegiali provinciæ Vallisoletanæ ceterisque omnibus quorum interest, salutem in Domino.»

«Sacrosancta Tridentina synodus, quam validissimum murum pro domo Israel misericordiarum Pater opposuit, inter tot alia, quæ de fide orthodoxa et de ecclesiastica disciplina, salutifera edidit decreta, sanxit ut provincialia concilia, sicubi ommissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur, et celebrentur quolibet saltem triennio, ad quæ episcopi omnes et alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur. (Ses. 24 cap. 2 de ref.)

»Si unquam alias magni fuere, profecto in tanta vertentium temporum acerbitate momenti maximi sunt hi Episcopales conventus. Quod probe noscens ven. mem. Pius IX, non semel Episcopis comendavit, ut instaurentur, et frequenter habeantur ad medendum omnibus christianæ reipublicæ malis.

»Nos igitur, his sanctissimis mandatis ac monitis obtemperare toto animo cupientes, facto verbo cum venerabilibus ac dilectissimis fratribus comprovincialibus, ipsisque consentientibus et plaudentibus, primam provinciæ nostræ Vallisoletanæ Synodum celebrare statuimus, apostolica roborati benedictione Smi. Domini Nostri Leonis XIII, qui de hac ipsa indicenda synodo propositum nostrum probavit atque laudavit.

»Quare, implorato prius auxilio auctoris et consummatoris fidei Jesu Christi, principis pastorum, auctoritate nostra Metropolitana utentes, ad majorem Omnipotentis Dei et Sacratissimi Cordis Jesu gloriam, in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ sinè labe conceptæ, sanctæ Teresiæ Virginis, hujus provinciæ cœlestis patronæ, omniumque sanctorum, et in diocesium ipsius utilitatem, synodum provinciam indicimus ac denuntiamus in Metropolitana nostra Ecclesia inchoandum die decima sexta Julii proxime futuri, beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo dicata, et in qua Ecclesia Hispana Triumphum sanctæ Crucis commemorat, et festivo celebrat obsequio.

»Ad synodum hanc Episcopus omnes provinciæ convocamus, ut huc constituto die conveniant, vel si legitima fuerint causa præpediti, officii sui partes per procuratores adimpleant.

»Convocamus præterea capitulum metropolitanum, capitula cathedralia, et collegiata, ceterosque omnes, qui de jure vel consuetudine convocandi sunt; et ne quis eorum, qui quomodolibet interesse debent vel possunt, se rei ignarum profiteatur, vel neglectum putet, edictum hoc ipsum ad valvas ecclesiarum saltem cathedralium provinciæ affigi jubemus, sigillo nostro munitum, et ab archiepiscopali nostro Secretario subscriptum.

»Quum vero divino potius auxilio, quam humano conatu, tanti ponderis negotium et inchoandum et absolvendum est, adeamus oportet cum fiducia ad thronum gratiæ, et ardentissimis votis Patrem luminum adprececur, ut cœlesti ejus gratia illustrati, quæ magis utilia, magis consentanea sancienda sint, mentibus nostris perspecta fiant.

»Eapropter statuimus, et ut id ipsum mandent Fratres Comprovinciales rogamus, 1.º ut in unaquaque ex sequentibus hebdomadis usque ad synodi inceptionem, celebretur semel cum cantu Missa solemnibus votiva de *Spiritu Sancto* in alma ecclesia Metropolitana, 2.º ut quotidie usque ad synodi dimissionem, in omnibus Missis collecta addatur de *Spiritu Sancto*, exceptis diebus primæ classis, 3.º ut in proximiori Dominica moneatur populus de oratione ab omnibus facienda pro felici synodi eventu, et tam in ipsa, quam in sequentibus festivis diebus, post missam parochialem, a sacerdote cum fidelibus adstantibus recitetur antiphona *Salve Regina* et ter *Pater noster* in honorem S. Josephi, sanctæ Teresiæ, et S. Petri Regalati. 4.º ut hoc fiat quotidie a religiosis communitatibus, addendo hymnum *Veni Creator* cum versu et oratione, ac denique ut parochi et confessarii hortentur fideles ad divinum exorandum auxilium, ut celebrata Synodo, Christi religio in omnibus provinciæ diocesium magis magisque floreat in dies, ac tandem de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum.

»Datum Vallisoleti ex ædibus archiepiscopalibus die decima septima Junii, divinissimo Cordi Jesu sacra, anni millesimi octingentesimi octogesimo septimi.—✠ Benedictus, Archiepiscopus Vallisoletanus.—De mandato Exmi. ac Illmi. Domini Archiepiscopi—Joseph Meseguer et Costa Decanus, secretarius.»

Edicto ad valvas Metropolitanæ Ecclesiæ affixo, et omnibus provinciæ Suffraganeis transmissis, ut ab ipsis nuntiaretur capitulis et in propriis ecclesiis publicaretur, ipsemet Metropolita ad omnia capitula litteras dedit, ut, per procuratores ad normam juris constitutos, synodo interfuerint. Animarum curatores et fidelem populum denique hortatus est appositis litteris, idemque fecerunt Episcopi, ut preces continuo funderent pro felici successu.

Præterea, ut ad Concilium veniret, per litteras invitavit Rmum. Episcopum a diœcesi S. Christophori de Avana in Abulensem ecclesiam electum, qui prope diem bullam translationis accepturus erat ad possessionem capiendam et diœcesim gubernandam.

Denique, tam Archiepiscopus quam Episcopi, ab ipso admoniti, theologos viros, aliosque juris canonici peritos in consultores elegerunt.

Omnibus jam congregatis, et in seminario Metropolitanano, et in collegio patrum ordinis S. Augustini pro Philippinis insulis, hospitio susceptis, cum Metropolita convenerunt Rmi. suffraganei, atque privatam consultationem habuerunt de iis præcipue, quæ synodi initium, synodali catalogum, tractandarum rerum ordinem et distributionem, et cæremoniale proprius concernebant. Placuit omnibus norma concilii ab Archiepiscopo proposita, juxta aliorum synodorum praxim, et de communi consensu votum decisivum in synodalibus actionibus tributum fuit Rmo. Episcopo electo Abulensi, atque sine voto admissum ad ipsas Rmus. D. Emmanuel Santander ex Archidiacono almæ metropolitanæ ecclesiæ electus in Episcopum S. Christophori de Avana.

Rei natura poscente, quadruplicis ordinis consessus celebrari statutum est, nempe:

*Congregationes particulares*, ex certo synodali numero, et consultoribus, quibus præest unus ex Rmis. Patribus, ad expendendam decretorum partem quæ illis examinanda committitur. Habebuntur in uniuscujusque præsidis hospitio.

*Congregationes generales*, ad quas omnes synodales convenire tenentur. Præsidente Archiepiscopo, et Spiritu Sancto per orationem *Adsumus* invocato, proponuntur decreta a comissionibus seu congregationibus particularibus examinata. Licitum unicuique erit, ea observare, quæ ipsi opportuna videantur, sed sincero animo, cum caritate et modestia, ita ut vanis disceptationibus locus præcludatur. Ut facilius sensum suum omnes exprimere possint, vernaculo utentur sermone; sed quæ addenda vel mutanda in decreti censuerint synodales, latina lingua, brevique compendio scripta tradent notario. In his congregationibus, Metropolita stola rubra super rochetum et mozzettam utetur; Rmi. Episcopi habitu prælatitio, ceteri habitu talari, vel ordinis sui, si regulares fuerint.

*Congregationes private*, in quibus Patres Concilii tantum inter se deliberant, et auditis observationibus aliarum Congregationum, definiunt quid statuendum sit.

*Sessiones solennes*, in quibus, omnibus juxta Pontificale et Cæremoniale Episcoporum peractis, leguntur decreta, et excipiuntur suffragia Rmorum. Patrum. In his Metropolita super rochetum induet amictum, albam, cingulum, stolam, pluviale rubri coloris et mitram. Episcopi super rochetum, amictum, stolam, pluviale rubrum et mitram auriphrigiatam. Capitulum metropolitanum, et officiales synodi pluviale rubrum. Procuratores capitulorum proprium habitum chorale, ceteri non canonici superpelliceum.

Præsidente Metropolitanano, Episcopi sedebunt juxta consecrationis suæ tempus; Vicarius capitularis Abulensis; deinde capitulum metropolitanum; deputati capitulares, servato ordine Episcoporum suorum; Abbas capituli collegialis S. Ildephonsi; consultores, eodem servato ordine; reliqui de clero qui admissi fuerint.

### CONGREGATIO GENERALIS PRÆPARATORIA.

Die 15 Julii, hora undécima, congregati sunt in ædibus archiepiscopalibus omnes ad synodum vocati, juxta quod ipsis intimatum fuerat. Ad sacellum earum accedentes, et omnibus ante altare genuflexis, Rmus. Archiepiscopus hymnum *Veni Creator* incepit, quem omnes prosecuti sunt.

Recitavit Metropolita orationem *Adsumus*, et ad contiguam aulam maximam proceserunt, ubi loco præcellentiori sedit Archiepiscopus in throno; juxta illum ad utrumque latus in cameralibus sedibus Rmi. Episcopi, et Vicarius Capitularis Abulensis; ad oppositas mensas officiales synodi, et in locis assignatis ceteri omnes synodales.

Rmus. Archiepiscopus breviter alloquens congregatos, in primis gratias egit Deo, qui concessit concilia iterum celebrari in Hispania, et primum quidem in hac novissima provincia; adstantes Episcopos deinde salutavit, et omnes qui aderant laudavit, et cum ipsis gratulatus est pro zelo et alacritate qua ad synodalem conventum venerant.

Post hæc omnibus nuntiavit, litteras a Summo Pontifice accepisse, quibus probatur, laudatur, et benedicitur synodus, atque surgens, omnibusque pariter surgentibus, aperto capite, legit ipsemet reverenter Pontificiam Epistolam tenoris sequentis:

Venerabili Fratri

Benedicto Archiepiscopo Vallisoletano.

«Leo P. P. XIII.—Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Intelleximus ex litteris tuis prope esse, ut Episcopi ex Vallisoletana provincia ad synodum, vocatu tuo, conveniant; nec facere possumus quin magnopere vobis gratulemur, tibi quidem quod princeps et autor consilii fueris: illis, quod tecum magna approbatione consenserint. Animum adjecistis ac rem sane peropportunam, quæ exitu non carebit optato, si quod minime dubitamus, tantum adhibueritis in ea perficienda studii, quantum

fuistis in suscipienda concordēs. Tuum præcipue erit, venerabilis frater, ea communi iudicio, ad deliberandum proponere, quæ maxime postulare temporis locique conditio videatur: aliquanto autem ampliorem patere operæ vestro campum videmus, quia nullum ad hanc diem celebratum est Vallisoletanum provinciale Concilium.

»Sed hac ipsa de causa, quemadmodum incepti vestri major opportunitas cernitur, ita majorem singuli sumite animi alacritatem: vestra laus erit, communes leges toti provinciæ primos dedisse. Dabitur autem, opitulante Deo, providas et fructuosas, quia alienæ salutis studio, uti decet Episcopos, permovemini; proptereaque quidquid in vobis est consilii, usus, prudentiæ id omne sine ulla dubitatione in communem fructum singuli afferetis. Unam rem commemoramus, quæ tamen tanti est per se, ut vix indigeat commendatione nostra: eruditionem disciplinamque cleri intelligimus, quo pars præcipua communium curarum vestrarum spectet necesse est. Profecto nec te potest, nec Episcopos fugere collegas tuos, quanti referat, clericos in parandis virtutibus varioque doctrinarum cultu adolescere, cumque adoleverint, in muneribus sacris impigre sancteque versari. Quamobrem Deum enixe precamur, ut mentes animosque vestros regat virtute Sancti Spiritus sui: cuius divini muneris auspicem et benevolentiam nostram testem vobis omnibus et singulis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

»Datum Romæ apud S. Petrum die XXII Junii anno MDCCCLXXXVII, pontificatus nostri decimo.—Leo P. P. XIII.

»Sedentibus iterum omnibus, Metropolita jussit legi catalogum Patrum, aliorumque synodi membrorum, quod fecit secretarius, cunctis adstantibus adsum respondentibus, ut sequitur.

*Nomina Rmorum. Patrum, ceterorumque membrorum primi concilii provincialis Vallisoletani anno 1887 celebrati:*

#### METROPOLITA PROVINCIÆ.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Benedictus Sanz et Forés, Archiepiscopus Vallisoletanus.

#### EPISCOPI SUFFRAGANEI.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Antonius García Fernandez, Episcopus Segoviensis.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Raymundus Fernandez Pierola et Lopez, Episcopus electus Abulensis.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Thomas Belestá Cambeses, Episcopus Zamorensis.

Illmus. ac Rmus. D. Fr. Thomas Camara et Castro, Episcopus Salmantinus.

Illmus. ac Rmus. Dr. D. Joseph Thomas de Mazarrasa, Episcopus Philippopolitanus, administrator apostolicus Civitatis.

Exmus. ac Rmus. Dr. D. Joannes Baptista Grau et Vallespinós, Episcopus Asturicensis.

#### VICARIUS CAPITULARIS.

Rmus. D. Ludovicus Gonzalez, Vicarius Capitularis Abulensis, protonotarius apostolicus.

#### SYNODALIS HONORARIUS.

Illmus. ac Rmus. Dr. D. Emmanuel Santander, electus Episcopus S. Christofori de Avana.

#### PROCURATORES CAPITULORUM.

*Pro capitulo Metropolitano.* Dr. D. Joseph Meseguer et Costa, Decanus. Dr. D. Urbanus Ferreira, Cantor. Lic. D. Emmanuel de la Cuesta, Canonicus Lectoralis.

*Pro capitulo Segoviensi.* Dr. D. Thomas Baeza Gonzalez, Decanus. Doctor D. Gabriel Rebollo Bellesteros, Canonicus.

*Pro capitulo Abulensi.* Lic. D. Franciscus Pindado, Canonicus Lectoralis. Dr. D. Marianus Navarro, Canonicus Doctoralis.

*Pro capitulo Zamorensi.* Dr. D. Joannes Simon Pujadas, Canonicus Doctoralis. Lic. D. Casimirus Erro et Irigoyen, Canonicus Magistralis.

*Pro capitulo Salmaticensi.* Dr. D. Raymundus Barberá, Canonicus, Vicarius Generalis. Dr. D. Franciscus Jarrin, Canonicus Magistralis.

*Pro capitulo Civitatis.* Dr. D. Leonardus Malo Heredia, Decanus. Lic. D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis.

*Pro capitulo Asturicensi.* Lic. D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus. Lic. D. Philippus Rodriguez Arias, Canonicus Pœnitentiarius.

#### THEOLOGI AC CANONISTÆ A REV. PATRIBUS ELECTI ET AD CONCILIUM ADMISSI.

*Pro archidiœcesi Vallisoletana.* Dr. D. Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis, et Vicarius Generalis. Dr. D. Andreas Herrador, Canonicus et Fiscalis curiæ metropolitanae. Dr. D. Franciscus Morales Bejerano, Canonicus Magistralis. Dr. D. Emmanuel Pascual Pavia, Parochus S. Jacobi: Admodum R. P. Antonius Moradillo, Rector Collegii patrum ordinis S. Augustini pro Insulis Philippinis: adm. R. P. Franciscus Salesius Colina, Societatis Jesu: adm. R. P. Balbinus Martin, ejusdem societatis.

*Pro diœcesi Segoviensi.* Lic. D. Joseph Mayo, Seminarii Conciliaris rector.

*Pro diœcesi Abulensi.* Adm. R. P. Joachim Fonseca, ordinis prædicatorum, sacrae theologiæ magister.

*Pro diœcesi Zamorensi.* D. Angelus Gonzalez, Parochus Archipresbyter de Toro.

*Pro diœcesi Salmantina.* D. Elias Ordoñez Alvarez de Castro, Pbr.: adm. R. P. Tyrus Lopez, ord. S. Augustini sacrae theologiæ magister: D. Emmanuel Mun, cæremoniarum magister.

*Pro diœcesi Civitatis.* Dr. D. Joseph Calvo, parochus Archipresbyter de Barrueco.

*Pro diœcesi Asturicensi.* D. Franciscus Marsal, secretarius Rmi. Episcopi.

*Concilio quoque aderunt inter ejusdem officiales* Dr. D. Joannes Soldevila, Archipresbyter almæ metropolitanæ, secretarius Concilii: Dr. D. Franciscus Rubio, Canonicus, D. Ildephonsus Poblacion, Beneficiatus, et Rmi. Archiepiscopi vicesecretarius: Dr. D. Julianus Villar et Ranedo, Beneficiatus et cæremoniarum magister: Dr. D. Franciscus Borge, Parochus S. Laurentii et theologiæ pastoralis in seminario professor: D. Nicetus Fernandez, theol. moralis in seminario professor.

Elencho synodali lecto, et acceptis litteris procurationis suæ a capitulorum deputatis traditis, Secretarius, de mandato Rmi. Archiepiscopi legit decretum de Judicibus quærelarum et excussionum, quod in actis sessionis primæ exhibebitur, et ipsis traditæ sunt credentiales deputatorum, quæ omnes legitimæ inventæ sunt, atque excussionis causa ab Abbate insignis et regiæ Collegiæ S. Ildephonsi allegata, ut ab assistentia dispenseretur, quæ judicum voto pro legitima ac sufficienti habita fuit, ideoque a Metropolita dispensatus. Ipso jubente, secretarius legit decretum quo Officiales synodi constituuntur, et Promotore instante, atque Archiepiscopo annuente, ipsemet secretarius publicavit sequens

## DECRETUM

### DE SECRETO SERVANDO, ET RESTITUENDIS STATUTIS.

«Quum decreta Concilii provincialis, antequam promulgentur, ex præscripto Sixti V trasmittenda sunt Sacræ Congregationi Concilii, ut ab ea expendantur, facile dignoscitur, convenientissimum esse, ut alto ac religioso silentio tegantur, donec Sancta Sedes ea recognoverit, fuerintque postea ab Episcopis promulgata. Nemini præterea latet, recti et boni leges exigere, ut via præcludatur divulgationi eorum, quæ in synodalibus congregationibus acta et dicta fuerunt, ne ansa præbeatur diversis incommodis, quæ evenire possent, si quæ in secretis comitiis proponantur et dilucidentur, rationes et argumenta deducta, responsiones datæ, et ratiocinandi modus, aliis non synodalibus, sive de clero, sive de populo revelarentur.

»Quapropter de consilio et consensu Rmorum. Patrum comprovincialium decernimus, ut post unamquamque sessionem restituantur statutorum schemata ad deliberandum proposita et distributa, et quorum jam in sessione publicatio peracta fuerit. In hac autem prima congregatione generali præparatoria omnes synodales spondeant in verbo sacerdotis, se de tenore decretorum nihil divulgaturos, donec examinata a Sancta Sede, et ab Episcopis promulgata sint; de iis vero quæ in congregationibus peragentur, perpetuum et absolutum silentium esse servaturos. Quod in sequentibus sessionibus et congregationibus promittere tenebuntur, qui ad eas post hanc præparationem admissi fuerint.»

Ab Archiepiscopo interrogati, omnes surgentes, tacto pectore secretum servaturos elata voce solemniter promiserunt. Deinde cunctis adstantibus

distributa sunt decretorum schemata a Rmo. Præsidente præparatorum, necnon libellum sub titulo *norma ad Concilium*, et alterum *Ordo Synodi* cum præcibus aliisque ad cæremoniale ejusdem spectantibus.

Lecta sunt ab eodem secretario decreta *de modo vivendi, de præjudicio non afferendo, et de non discedendo*, in solempni sessione publicanda.

A Rmo. Præsidente nuntiatum fuit, synodales in septem commissiones abire, et a secretario publicari jussit nomina eorum qui ad singulas adscribuntur, ut sequitur:

### COMMISSIO PRIMA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Thomæ Belestá, Episcopi Zamorensis: Dr. D. Joseph Meseguer, Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ: Lic. D. Franciscus Pindado, Canonicus Lectoralis Abulensis: Lic. D. Casimirus de Erro et Iri-goyen, Canonicus Magistralis Zamorensis. Huic commissioni adjuncti sunt consultores Dr. D. Franciscus Morales Bejerano, Canonicus Magistralis Vallisoletanus: adm. R. P. Tyrus Lopez, ord. S. Augustini: adm. R. P. Joachim Fonseca, ordinis Prædicatorum.

Hæc commissio perpendet Schema de *Fide Catholica*.

### COMMISSIO SECUNDA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Antonii García Fernandez, Episcopi Segoviensis: Lic. D. Pelagius Gonzalez Conde, Decanus Asturicensis: D. Dr. Marianus Navarro, Canonicus Doctoralis Abulensis. Consultores Lic. D. Philippus Amo Luis, Canonicus Doctoralis Vallisoletanus, et Vicarius generalis: D. Dr. Andreas Herrador, Canonicus et Fiscalis curiæ Metropolitanæ: D. Joseph Mayo, Rector seminarii Segoviensis. Huic commissioni demandatur examen decretorum de *Ecclesia ejusque hierarchia et regimine*.

### COMMISSIO TERTIA.

Sub præsidio Illmi. ac Rmi. D. Fr. Thomæ Camara, Episcopi Salmaticensis. Dr. D. Leonardus Malo Heredia, Decanus Civitatis: Dr. D. Raymondus Barberá, Canonicus et Vicarius generalis Salmaticensis, cum consultoribus, D. Emmanuele Pascual Pavia, Parocho S. Jacobi Vallisoleti: Dr. D. Elia Ordoñez Alvarez de Castro, Presbytero ex collegio S. Marci Salmaticensi, adm. R. P. Antonio Moradillo Rectore collegii ordinis S. Augustini.

Hæc commissio perpendet schema de *Sacramentis et Sacramentalibus*.

### COMMISSIO QUARTA.

Sub præsidio Illmi. ac Rmi. D. Joseph Thomæ de Mazarrasa, Episcopi Philippopolitani, adm. apost. Civitatis. Dr. D. Thomas Baeza Gonzalez, Decanus Segoviensis: Lic. D. Emmanuel de la Cuesta, Canonicus Lectoralis

Vallisoletanus, quibus adjuncti sunt consultores Dr. D. Joseph Calvo, Parochus Archipresbyter de Barrueco, adm. R. P. Franciscus Salesius Colina Soc. Jesu, Lic. D. Emmanuel Mun, Cæremoniarum Magister Salmaticensis.

Huic commissioni datur schema de *Cultu divino*.

#### COMMISSIO QUINTA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Joannis Baptistæ Grau, Episcopi Asturicensis. Dr. D. Franciscus Jarrin, Canonicus Magistralis Salmanticensis: Lic. D. Joseph Gonzalez Sistiaga, Canonicus Magistralis Civitatis, cum consultoribus, Lic. D. Angelo Gonzalez, Parocho Archipresbytero de Toro: Dr. D. Francisco Marsal, secretario Illmi. Episcopi Asturicensis.

Hæc commissio expendet schema de *Pefectione Cleri*.

#### COMMISSIO SEXTA.

Sub præsidio Exmi. ac Rmi. D. Raymundi Fernandez Pierola, electi Episcopi Abulensis. Dr. D. Urbanus Ferreiroa, Cantor Vallisoletanus. Dr. D. Gabriel Rebollo Ballesteros, Canonicus Segoviensis, cum consultore, adm. R. P. Balbino Martin, Soc. Jesu.

Huic commissioni datur schema *De vita christiana*.

#### COMMISSIO SEPTIMA.

Præside Dr. D. Ludovico Gonzalez, Vicario capitulari Abulensi. Doctor D. Joannes Simon Pujadas, Canonicus Doctoralis Zamorensis: Lic. D. Philippus Rodriguez Arias, Canonicus Pœnitentiarius Asturicensis, cum consultore adm. R. P. Joachim Fonseca, quibus examinandum committitur schema *De bonis Ecclesie*.

His omnibus peractis intimata fuit sessio solemnitas pro sequente die, hora octava matutina, et recitata a Rmo. Metropolita oratione *Deus cujus misericordia*: ab omnibus antiphona *Sub tuum præsidium*, et a præside *Oratio pro nobis*.... et oratione *Gratiam tuam*, Rmi. Patres, cunctique synodales gaudentes, a loco congregationis recesserunt.

#### SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

Die 16 Julii, sabbato ante Dominicam VII post Pentecosten, festo Bmæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, et Triumpho S. Crucis in Hispania, persolutis summo mane a capitulo Metropolitano horis canonicis et Missa conventuali, convenerunt in Alma Metropolitana Ecclesia procuratores capitulorum, theologi et canonistæ, parochi et clerus civitatis, et habitu conciliarum induti processionaliter accesserunt ad ædes archiepiscopales, ubi expectabant Rmi. Episcopi, qui ad processionis adventum pluviale rubrum et mitram auriphrigiatam acceperunt, et Vicarius capitularis Abulensis cum habitu protonotarii apostolici. In sacellum, præeunte subdiacono archiepiscopalem crucem deferente, intravit Metropolita, cappa magna indutus, et comitantibus concilii patribus. Deposita cappa, sacra indumenta assumpsit, et omnibus

cum ipso ante altare genuflexis, intonuit hymnum *Veni, Creator*... quem prosecuti sunt cantores. Post primam stropham, ordinari cœpit processio versus metropolitanum templum, festivo more sonantibus omnium ecclesiarum campanis, sicut jam pridie mane et vespere pulsatæ fuerant. Processionem sequebantur, ad ipsam invitati ab Archiepiscopo, qui superiorem exercent magistratum civilem, militarem, municipalem, et judicialem, necnon universitatis Rector, commissionesque collegii advocatorum, aliorumque, atque innumerus populus qui vias, plateas, ipsamque ecclesiam occupabat. Processione durante, solemniter decantati fuere canticus *Benedictus* et hymnus *Ave maris stella*, usque dum metropolitanam ecclesiam ingressi sunt concilii Patres, sonantibus organis. Ad sacellum sanctissimi Sacramenti pervenientes, genuflexi aliquantulum in ipsius adoratione permanserunt, ad presbyterium deinde progredientes, ubi Metropolita thronum conscendit. Rmi. Patres sedes camerales apte dispositas, ceteri synodales scamna præparata ante ipsum presbyterium, et magistratus aliique invitati locum suum occuparunt.

Postquam pontificalia paramenta induit Archiepiscopus cum pallio et mitra pretiosa, silentibus jam organis et campanis, de throno descendit, Episcopos salutavit, capitulo et clero benedixit, et ad altare majus accedens, solemniter Missam *de Spiritu Sancto* celebravit, quam schola cantorum metropolitanæ festive et devote prosecuta est.

Finite missa, absque solemnibus benedictione, paramenta deposuit Metropolita, et pluviali reassumpto cum mitra auriphrigiata, de throno descendens, ad faldistorium venit in medio presbyterii, ibique sedit, Rmis. Patribus ad utrumque ipsius latus, statuto ordine, item sedentibus. Surgens deinde, et omnibus cum ipso in genua procumbentibus, intonuit antiphonam *Exaudi Domine*.... quam cantores continuarunt, qua infinita, et omnibus considerentibus, cantatus fuit Psalm. LXVIII *Salvum me fac Deus*.... post quem repetita antiphona, Archiepiscopus, deposita mitra, recitavit orationes *Adsumus*.... et *Omnipotens*.... Omnibus genuflexis, cantatæ sunt *Litaniæ Sanctorum*, et Archiepiscopus surgens post *Ut omnibus fidelibus defunctis*.... synodum benedixit, dicens: *Ut hanc præsentem synodum visitare, disponere, et benedicere digneris*. Post Litaniæ dixit orationem *Da quæsumus*.... et ad sedem in suppedaneo altari positam ascendit, quo accedens Canonicus Diaconus cum Subdiacono benedictionem more solito petiit, eaque accepta, cantavit Evangelium *Convocatis Jesus*.... Post Evangelii cantum, Archiepiscopus genuflexus intonuit hymnum *Veni Creator*.... qui usque in finem ab omnibus prosecutus est.

His omnibus peractis, Metropolita pulpitem ascendens in cornu Evangelii ad oram presbyterii, sequentem ad synodum allocutionem habuit:

*Venerabiles fratres, dilectissimi filii:*

«Advenit jam faustissima dies concilium primum Vallisoletanæ provinciæ celebrandi. Gaudeamus ergo et exultemus in Domino, qui dedit nobis, post tantum temporis spatium quo hæc synodalia comitia in nostra Hispania